



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, 1630

Vt cordis amaritudo per synceram charitatem extinguenda sit; & quænam
ea charitas exigat. Can. XVII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45857](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45857)

tiam & bonitatem Dei, & è regione Abyssalem vilitatem nihilcatis tuæ, iudicans teipsum ex animo pessimum peccatorem mundi, propter multitudinem vilitatis & ingratiitudinis tuæ, indignum omnibus beneficijs, quæ à Deo, vel creaturis recipisti, vel recipere poteris in æternum: dignum verò omnibus pœnis & opprobrijs. Sicq; submittes te omnibus hominibus, eligesq; tibi infimum locum in cælo & in terra, clamans vt miser ad Dominum: *Deus propitijs esto mihi peccatori: cupiēs etiam contemni, & conculcari ab omnibus.* Hæc humilitas vincit Deum, & capacem te facit omnium gratiarum eius. Heu quis posset sibi arrogare sanctitatem, cum tam arduum incertum & occultum sit sensualitatem & propriam voluntatem verè abnegasse, sitq; sæpenumero sola natura, vnde falsum argumentum sumitur magnæ sanctitatis.

Vt cordis omnis amaritudo per synceram erga omnes homines charitatem extinguenda sit, & quæ & quænam ea charitas exigat.

CANON XVII.

Quintum quod omnes in militia spirituali impedit, est amaritudo cordis, qua nonnulli proclives sunt ad impatientiam, odium, vindictam, & ad asperandum cæteros. Hi murmurant contra superiores suos, iudicant & contemnunt proximos, obloquuntur & detrahunt, & omnia venenato oculo, quo ipsi infecti sunt, aspicientes, peruersè interpretantur, Deo & hominibus odibiles. Quocirca, si vnquam volueris proficere, necesse est, vt in Deo omnem proximum diligas, in omni homine imaginem Dei honores, nullam amaritudinem, displicentiamve in corde tuo quiescere sinas aduersus aliquem, sed occurras omnibus vultu sereno, in dulcedine charitatis, in mansuetudine cordis ac benignitate sermonis: paratus omnium onera & infirmitates portare, omnium indigentijs subuenire, omnium offensiones remittere, & in meliorem partem interpretari, neminem iudicare vel contristare, cunctis prodesse & solamen adferre: & generaliter in vniuersos sine personarum acceptione pietatem & miserationem effundere.

Proprietas voluntatis, sensus, consilij & iudicij quantis damnis homines afficiat: quique eadem per sui abnegationem omnimodam sit extirpanda.

CANON XVIII.

Sextum impedimentum in profectu spiritualis vitæ, est proprietas voluntatis, sensus atque consilij. Huic plerique aded innituntur, vt neque Deo audeant se credere ac resignare, neque hominibus: sed sit eis proprietas illa in iudicando ac eligendo quasi basis ac fundamentum, super quod omnia sua ædificant. Quæ quamlibet magna videantur, sætent tamen in oculis Dei. Tu itaque si hoc fundamentum euertas, corruent pariter in te omnes muri Hiericho, id est, defectus vniuersi. Quapropter aliud fundamentum tibi iacias necesse est, videlicet plenam ac perfectam tuipsum abnegationem qua temetipsum ex eas & relinquis, atque sine retractione cordis in beneplacitum Dei resignes, voluntatem eius cum mentali

Iosuc. 6.

Fundamentum perfectæ abnegationis qui iaccaduta.

Yyy

compla